

LETTERE

DEL DOGE

ANDREA CONTARINI

E DEL CAPITANO GENERALE

DOMENICO MICHIEL

(1368-1369)

PUBBLICATE E COMMENTATE DA

G. B. DI SARDAGNA

(Cont. e fine del testo)

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod divina gratia concedente bastita nostra secunda est ammodo in tali fortificia deducta de foveis, maseriis et batifredis quod pro hostili potentia non est de ipsa in aliquo dubitandum. Hac nocte preterita experimentatus fui velle per modum facti intrare Tergestum a superiore parte montis ubi locus pro natura fortis mihi aptior esse videtur et dato ordine de gentibus nostris et aliis quibuscumque bellicis opportunis invasi muros Tergesti sed quia Tergestini se brevius effectum habere non potui. Nihilominus tamen iterato prout nos occuret aut uno aut alio experimentabo quid fiendum poterit.

Scire vos faciens quod dominus Andriolus Paradiso cavalator noster die XIII mensis februarij proximi preteriti equitavit ad Muchonum ad dampnificandum inimicos cum certa quantitate gentium nostrarum et ibi sic casus accidit quod ronzinus dieti domini Andrioli cecidit simul ipso domino Andriolo et taliter quod flancos et caput ipsius domini Andrioli ex quo ab eo tempore circiter idem dominus Andriolus maximum dolorem capitis et flancorum passus fuit, maxime dolores flancorum.

Verum quod ab eo tempore circiter quam melius potuit pertransivit simulando ne pati videretur; denique sic res de male in peius processit quod idem dominus Andriolus graviter se habet quo circa dominationi vestre devote supplico ut eidem domino Andriolo licentiam concedere dignemini quod Veneciis venire possit causa convalescendi. Alia relatu digna in istis partibus non emergunt.

Data in bastita nostra, XVI marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 17 Marzo — 1.^a

Serenissime et excellentissime mi domine.

Prout serenitati vestre alias notum feci Bianchinus Teupulo, Franceschinus de Peraga et Balbus de Galuciis iam pluribus diebus venerunt ad bastitam nostram Tergesti causa experimentandi de operando et faciendo honorem nostrum et vere per ea que comprehendere videre potui usque nunc eorum intencio bona fuit et licet res per eos incepta de faciendo sua edificia causa habendi Tergestum effectum non habuerint tamen in hoc per ea que demonstrarunt in volendo facere nostrum honorem si potuissent bene operati sunt et se optime habuerunt. Modo autem videntes ipsi quod res processura est ad longum et quod suam intencionem adimplere non possunt predicti Franciscus et Balbus sumpta licentia recesserunt. Quo circa si fortasse de ipsis aliter dicerent quantum in hoc asserunt de suo bono portamento penes vostram dominacionem pro recomendatis merito sunt habendi.

Data in Bastita nostra, XVII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 17 Marzo — 2.^a

Serenissime et excellentissime mi domine.

Serenitati vestre notifico quod quia secunda nostra bastita in fortificia deducta est necesse est fornire dictam nostram secundam bastitam de veretonis, fornire istam primam nostram bastitam et etiam fornire fortificia Mocholani, quo circa dominacioni vestre devote supplico ut de veretonis providere dignemini quod mittantur et in quantitate per dictis duobus nostris bastitis et ipsa fortificia Mocolani quia veretoni sunt illi qui ad defensionem et offensionem totum faciunt et in quibus noster honor consistit; preterea ibi non est de pecunia et sine ipsa nihil fieri poterit et ideo de pecunia provideri dignemini quod mittatur maxime attento quod omnes nostri ballistrarii de Vene-

ciis solvendi. restant et magna stipendia nostrorum. Scire vos faciens quod die mercurii vel iovis sine fallo licentiabo omnes marangones veteros et aliquos calefatos de novis qui ibi nihil agunt.

Data in bastita nostra, XVII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 18 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Ut per alias vobis scripsi bastita nostra secunda per dei gratiam est in tali fortificia deducta quod de ipsa non habet dominacio vestra aliquantulum dubitare. Nichilominus tamen ad maiorem fortificacionem dicte bastite etiam et situs nostre prime bastite die noctuque facio pro viribus laborare. De partibus istis alia nova non scio si fortasse alia de novo haberetis posset mihi ad mei informacionem percipere quid placet me facturum. Tergestini a fortificia Mocholani capta citra se fortificare ceperunt et diutim die noctuque incessanter se magis fortificant de reparatione fovearum et de batufredis novis super turribus et muris et de mantelletis ad merlos circum quamquam totam terram ex quo evidenter apparet quod habent intencionem si poterunt se tenendi. Postquam secunda nostra bastita ponita fuit de Tergestinis extra muros pauci vel nulli se putaverint ad scarazuandam, taciti stant, die noctuque laborant sed quid agant hucusque de eorum intencione sentire non possum. Scire vos faciens quod modo de victualibus aliquantulum succursum habere non possunt, ymmo nec portari possunt.

Data in bastita nostra, XVIII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 19 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Heri sero tres litteras dominacionis vestre recepi datas XIII et XV martii ad contenta quarum et ad primam responsiva ad meas super facto comitis de Duyno requirentes vele bene stare et esse amicum dominacionis vestre quod bene me debeam informare de intencione dicti domini comitis et quod clarum mihi exprimat modum per quem velit predicta facere et quam securitatem et cautelam prestare velit pro inviolabili observacione premissorum, etc. respondeo reverenter quod prout mandatis ita faciam observabo et quidquid de intencione dicti comitis super premissis habuero id vobis clare et distincte scribere non tardabo, de novis autem et occurrentibus contentis in duobus foliis eadem vestra littera inclusis que vestra dominacio mihi notificare dignata fuit pro informacione mei maxime contentis ut provisus esse possum melius in agendis.

Ad secundam, ubi tangitis de dampnis factis illis de Portulatisane cum copia litterarum domini viri vicepotestatis Caprularum et litterarum consilii et comunitatis Portulatisane ipsa littera introclusa, respondeo quo in vera conscientia de huius dampnis aliquid nunquam scire, sed statim iuxta vestram inquiram de predictis, dampnis si facta sint per aliquas nostras gentes et per quas et de quantitate dictorum dampnorum et reperta veritate facti et quidquid inde habuero id statim dominacioni vestre meis litteris intimabo.

Ad terciam et ultimam, ubi tangitis de guastatoribus Pole et aliis Ystrie quibus de pecunia nostri comunis dari facere debeam solidi VI pro quolibet singulo die, etc. respondeo quod ut alias mihi scripsistis et nunc etiam scribitis dictos guastatores provideri feci et facio et faciam ut mandatis. De veretonis autem missis pagatores nostri cum receperint respondebunt.

Domine mi, ut per alias meas litteras datas XII mensis presentis plenius vobis scripsi in bona dei gratia fondari facere cepi bastitam nostram secundam ubi et sicut alias ordinatum fuit, et ibi per gubernatorem et rectorem constitui dominum Jacobum Dolfino militem cavalcatores nostrum, cum quo dominus Marcus Maurocenus provisor noster meis precibus remansit pro

bono agendorum qui libenti animo stare se paratum obtulit non solum in hoc casu, sed in principio presentis nostre bastite et secunde constituit usque in presentem diem et in quibuscumque aliis peragendis nostrum honorem spectantibus optime se habuit et habet et nunquam se videt nec in aliquo suam personam sparmigat et ultra debitum suum fortis ubi videat nostrum honorem adimplere posse facit modo dicit, de quo penes vestram dominacionem pro recomendatus merito est habendus. De bene facientibus meum debitum est bene dicere. Modo sic est in facto quod propter assiduos labores quos tulit idem dominus Marcus est sic oppressus et frigore et tussi quod de cetero huius modi labores male tollerare potest. Et considerato quod idem dominus Jacobus solus est remansurus ibi ad custodiam nostre bastite, et quod unus solus posset superesse tot et tantis agendis, quod et quanta continue fienda occurrunt super quo dignetur vestra dominacio providere de oportuno remedio prout placet.

Preterea ad memoriam vobis reduco quod vestra dominacio habet duos bastitas custodiendas et regendas et quod ibi est unicus solus marescalchus noster et pro secunda bastita esset opus de altero marescalcho qui gentes nostras equestres et pedestres in eas existentes regulet et gubernet et custodiis diurnis et nocturnis intendat bene quod idem noster marescalchus stetit stat et stabit ad regimen et custodiam dicte nostre secunde bastite qui marescalcho fieri placeat super quo dignetur vestra dominatio providere de altero marescalcho vel si placet mihi percipere demandare quod unum quem volueritis pro marescalcho ibi constituam.

Iamdudum dominacioni vestre notum feci quod in campo moris est illi cui baneria sancti Marci portando amittitur provideri debet, et quod ipsam baneriam portandam amisi Franciscum de la Parte probo viro in talibus experto super quo a dominacione vestra nullum responsum habui. Quo circa dominacioni vestre supplico ut super premissis mihi percipiendo mandare dignemini quid placet me facturum ut sciam quomodo vivere debeam cum predicto Francisco.

Data in bastita nostra, XVIII marcij, summo mane.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 20 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Quantum ad predictis in istis partibus alia non emergunt que sint relatu digna. Ambo nostre bastite per dei gratiam sunt in tuta fortilitia deducte et dietim forciores efficiuntur, ad dampna autem Tergestinorum de eorum vilanis, vineis et olivis intendo pro posse quod scribere longum esset vero jam sero facto quando a guastis redivi propter subitum recessum ser Nicolai de Ferrara latoris presentium et barchis recedere volentis plura difusius non potui sed ipsa informatus ad plenum de gestis dominacioni vestre poterit oretenus explicare.

Data in bastita nostra, XX marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 21 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Postquam litteras vestre dominacionis super facto comitis de Duyno requirentes velet bene stare, etc. amicum dominacionis vestre recepi, ab ipso domino comite de intencione sua nihil aliud habere potui, eo quod ab illo tempore anteriori et ultra est et stetit in Austria. Verum quod recenperationem dictorum vestrarum litterarum idem comes percomptante mihi promisit quod vult et esse intendit amicus dominacionis vestre verus et propensus et quod sic iam fecit et faciet quod ille de Auragna qui est servus servitorum de cetero non receptabit aliquos laboratores venientes contra nostrum honorem neque derobaciones neque furta neque latrocinia quocumque facta vel fienda subditis nostris, in partibus Ystrie prout idem de Auragna receptare et facere hactenus consueverat petens idem comes et de gratia requirens quod subditi sui venire possint ad bastitas nostras et partes Ystrie cum eorum merzimoniis rebus et victualibus tute et libere et stare et inde redire tamquam amici dominacionis

vestre. Cui iuxta suam requisitionem pro subditis suis licentiam et fidanciam in hac parte ipso concessi; quantum pro parte illius de Duyno apparenter erga vestram dominacionem res bene procedunt expecto venit pro parte comes de intencione circa promissa per ipsum severe clarus procurabo et quidquid super inde habuero vobis scribere non tardabo. Alia ultra solito relatu digna in istis partibus non emergunt.

Data in bastita nostra, XXI marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod videns bastitam nostram secundam esse in bona fortificia deductam prout per alias vobis scripsi licentiarum dicerem omnes marangonos veteres redire Veneciis sed antequam ipsos licentiarum velem disponi quod hodie omnes esse deberent ad faciendum guasta et explanata super monte Sancti Viti ex opposito Tergesti et quod illos qui venirent licentiam redire domum. Ex quo omnes illos qui interfuerunt ad laborandum licentiarum quos omnes dominacioni vestre mitto presentibus descriptos in cedula presentibus introclusa predictos omnes de suo bono portamento penes vestram dominacionem merito recomendans.

Data in bastita nostra, XXI marcij.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Quia per dei gratiam bastita nostra secunda ammodo est in maxima fortificia deducta prout sepius vobis scripsi, cum ad memoriam nobis deduco de duobus oportunitis, primo, quod ibi fiat monicio de victualibus pro dicta bastita, quod si casus accideret, quod deus advertat, quod hostilis potentia superueniret, ex defficientia victualium non posset et quod super hoc massarii deputentur qui curam ha-

beant de dicta monicione fienda, quod nostri pagatores et mas-
sari ibidem existentes asserunt quod satis habent
attendere nostre prime bastite Secundo,
quod prout per alias uobis scripsi, provideat sibi de uno alio
marescalco, vel si placet mihi precipiendo mandare quod ipso
marescalco Super quibus disponat uestra dominacio
sicut placet.

Data ex nostro exercitu, die XXI marcij.

1369 — 22 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Per amicum fide dignum heri venientem de portu Latizane
et Castellum percepi quod ab octo diebus anterioribus Deiphe-
bus de Lature veniens de partibus Austrie solus sine famulo et
in frequentia Castellum applicuit. Interrogatus per amicum de
occurrentibus in presentibus respondit quod nova erant ista et
sic vulgari opinioni ferebatur quod domini duces Austrie et Ba-
varie dispositi erant succurrere Tergestinis in quantum possent
pro viribus obviare ut ducalis dominacio super Tergestinos suum
obtineret intentum, asserentes ipsi duces quod quandocumque de
Tergesto vostram intencionem haberetis pulcer do-
minus a Vena infra et ultra quod nec patriarchatus nec comes
de Duyno nec comes de Goricia nec ille de Pisino Petra Pillosa
Auragna et Raspurchio de sub vestris pedibus ausus non esset
se moveri et quod nullo nostri pretereatur ipsi duces quod dicti
comites et de Duijno et alii circumstantes qui sunt eorum fideles
et servitores taliter suppediterentur per vestram dominacionem,
preterea dixit amicus quod hoc totum fiebat ad instanciam et
. dictorum comitum maxime de Goricia qui super
suo capite sumpserit defendere Tergestinos et ratio est ista nam
ipsi Tergestini sentientes potentiam vestre dominacionis super
ipsi esse venturam fuerunt ad presentiam comitis de Goricia in
portu Latizane ubi convenerunt ipsi Tergestini cum dicto comite
de essendo suos fideles perpetuo et pro censo annali in perpetuo

sibi dare ducatos V.^o sub hac conditione quod ipse comes Tergestinos in suis necessitatibus non reliquat et quod de predictis inde celebrata publica instrumenta cum sigillo comunis Tergesti munita et ipse amicus vidit et legit ipsa instrumenta et pacta et convenciones. Insuper dixit ipse Deiphebus quod dum esset in partibus Austrie ordinatum fuit de uno parlamento fiendo per ipsos dominum ducem, comites, ambaxiatores patriarchatus et Tergesti et quod dictum parlamentum debebat esse heri die XXI mensis presentis et quod ibi defensio Tergesti comiter debebat ipsi comiti de Goricia tamquam capiti et gubernatori huius impense ad defensam Tergesti asserens ipse Deiphebus quod quam cito nives et glacies liquefacte essent infinite gentes armigere transire erant ad partes istas in subsidium Tergestinorum. Interrogatus per amicum ad quid respondit ipse Deiphebus causa notificandi predictas quibus debebat et alia faciendi et inter cetera sibi providendi de equis et armis pro intertenendo factus Tergesti ortans et inducens ipse Deiphebus amicum ut et etiam ipse amici velet interesse quia de equis et armis sibi subveniri faceret; cui respondit amicus quod armis et equis carebat et quamcumque haberet nullo modo contra dominationem venire presumeret. Interrogatus quoniam sic solus venerat respondit ipse Deiphebus quod necessitate coactus omnino disposuit transire Alpes sed dum veniret inventit glacies et nives adeo grossas et validas quod transire non potuit ex quo dimisit suos ronzinos et famulos strachos et frigore oppressos dimisit et ipse solus se pericula exposuit et per glacies et nives iter arripuit et in tantum glaciata erant quod super nives sub eum cum ronzino in pluribus locibus et passibus pertransivit. Hec ideo serenitati vestre notificare curavi ut que senccio seneciatis super quibus providere et disponere possitis pro vestre libito voluntatis.

Domine mi, prout heri vobis scripsi de pecunia ibi non est et sine ipsa nihil fieri potest scire vos faciens quod die XXV mensis presentis completur terminus pagarum domini comiti de Montefeltro et multorum aliorum stipendiariorum et consideret vestra dominatio quomodo sine pecunia gentes nostra vivere et contentare poterint. Preterea habeo fornire duos nostras bastias et rocham Mucholani de veretonibus et ibi ad sufficientiam

non sunt quo circa devote suplico ut per deum de pecunia et de veretonis qui vestre dominacioni sunt parva expensa et qui totum nostrum honorem faciunt providere dignemini cum effectu quod de pecunia et veretonis et in quantitate et subito transmitantur. Preterea quia pagatores nostri et massarii qui sunt ibi negociis secunde bastite superesse non possunt dignetur vestra dominacio provideri facere de municione diete secunde bastite et de massariis qui de ipsa municione curam habeant et quod pro meliori et tutiori custodia et regimine diete bastite etiam et mittere aliquos ex nobilibus civibus nostris qui predictis intendant quia non bene se habet de persona dominus Marcus Mauroceno ut vobis scripsi dominus Jacobus Dolfino solus in agendis male poterit superesse.

Data in bastita nostra, die XXII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 25 Marzo 1^a.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Senciens quod villani de Muchono territorij tergestini sub pretestu quod essent de subditis comitis de Goricia et Duyni simul in comitiva cum aliquibus vilanis dictorum comitum veniebant super territorium Tergesti ad laborandum vites et alia laboreria faciendo, de hoc provisos feci per meas litteras dictos comites et eorum officiales officialiter asserens nullo modo mee intencionis erat quod alique persone de mundo venirent super territorium tergestinum ad laborandum et quod si veniret eis intromitti facerem in avere et personis. Subsequentur ambaxatores dictorum comitum qui hiis diebus fuerunt hic ad me simile modo oretenus provisos feci et clare eis intelligere feci quod nulli de mundo quocumque esset venire presumerint super territorium Tergesti ad laborandum et si venirent sic fieri faciam ut Hoc non obstante COCC iterato predicti vilani propterea non restabant de veniendo ad laborandum imo et per duas vices insultum fecerint

contra gentes nostras armata manu; hoc igitur videns per die equitavi cum aliquibus gentibus nostris versus partes de Muchono et reperi multos de villanis laborare vites super territorio tergestino cum baneria elevata comitis de Goricia ed aliqui comitis de Duyno. De quibus vilanis inter ceteros duos habui et ab ipsis intellexi quod in quadam villa que appellatur comitis Goricie confinis territorio de Muchon facta erat congregatio victualium videlicet de starii CCC farine et quod continue ibi et hodie fiebat apparatus victualium pro conducendo Tergestum. Hoc sentito per plures noctes continuas ab eo tempore circa misi de gentibus nostris ad passus ad videndum et inquirendum si sic erit veritas de dictis et invenerunt diete nostre gentes cum starent in aguyto prope dictam vilam quod predicti vilani eum eorum bestiis et someriis ponderibus de farina et alii victualibus se movebant de dicta vila pro veniendo ad Muchonum et inde Tergestum; sed diete nostre gentes statim presentite fuerunt et ab dictorum vilanorum ita et taliter quod de dictis vilanis bestiis et someriis ponderibus et victualibus mulibus capris et statim se reducebant in dictam vilam Modo quod a dominatione vestra habeo in mandatis de non excedendo fines territorii tergestini et discurrere super territoria illius de Goricia vel Duyno diete nostre gentes attendentes mandatum vestrum per me sibi factum diete nostre ause non sunt ex quo sic predicti de Muchono et Tergesti ut videre potestis sub umbra dictorum comitum se gubernant et defendunt; modo consideret vestra dominacio quod omni nocte continuate talibus insidiis et fraudibus obviare non possum et quod si dicti vilani adventum nostrorum gentium presentiant statim se redeunt ut premititur seu ante exponunt se periculo veniendi. Hec omnino dominacioni vestre notifico ut omnia occurentia in partibus istis vobis pateant et comprehendere possitis quantum et qualem intencionem habeant predicti comites erga vestram dominacionem et ut supra predictis de opportuno remedio providere possitis et mihi percipiendo mandare ad obviandum predictis quid placet me facturum.

Quia scio quod Ungaros quos misistis male possem in freno tenere et legem eis imponere qui discurrant ad sachomanum per territoria comitis Gorizie et Duyni ideo scripsi domino nostro

potestati Justinopolis ut dictos Ungaros retinere placeat considerato quod dictos Ungaros non bene comode reponere possem in bastitis nostris in tantum sunt plene et

Factis his vestras recepi litteras XIX marcij meis responsivas de secunda bastita incepta fondari, etc. et quia ibi tangitis vos mirari de concordio Tergestinorum etc. et quia propter hoc cessare non debeant a fortificando bastitas nostras magis quam unquam audeo dicere quod propter huiusmodi verba nunquam cessavi neque cesso a fortificando me magis quam unquam et a faciendo guasta prout de predictis et aliis vestra dominacio scire potest per venientes ab hinc e Venecis qui viderunt.

Data XXV marcij.

Audiens de fuga pedites civitatis Tarvisij et Tarvisianorum conquerentium quod eorum terminus sunt et quod plus servire non possunt de ipsis omnibus generalem monstram feci et quos fugam arripuisse inveni nominatim in scriptis dominacioni mitto in cedula presentibus introclusa.

1369 — 25 Marzo 2^a.

Serenissime ed excellentissime mi domine.

Quoniam per dei gratiam nostrarum bastitatum est in bona fortificata constituta ut per alias vobis scripsi nunc intendam ad faciendum erigi machinam magnam sed quia pertica alterius machine minoris est facta ut scire debetis et in partibus istis lignamen sufficiens pro dicta pertica fienda ut alias scripsi reperiri non posset ymo nec habere crederem bonum esse ubi vobis placeret quod mandare dignemini alteram perticam fieri debere per dictam minorem machinam que debeat esse longa passa X— ut magistri dicent et facta quam cicius fieri poterit transmittatur. Iterato et iterato devote supplicans ut de pecunia et in quantitate maxime instantibus pagis domini comitis et aliorum multorum stipendiariorum fiendis, hodie XXV mensis marcij, et de veretonis in quantitate de

pro balistis ab equo, de balistis XXX a pede et de balistis VI a leva providere dignemini quod subito transmittantur.

Data in bastita nostra XXV marcij.

Preterea quia publice fertur et firmiter de gentibus ducis Austrie venturas in brevi in subsidium Tergestorum et quia dominus Jacobus Dolfino solus est ad custodiam et regimen secunde nostre bastite pro honore nostro audeo supplicare ut de aliquibus nobilibus viris providere dignemini qui hac veniant in quanto sufficientiores et meliores et plures mitteritis tanto melius esse crederem, pro utraque bastita, et licet sic scribam non omnino tamen credat vestra dominacio quod metus sic me tangat sed solummodo ut vestra intencio bonum consequatur effectum. Nichilominus tamen ad maiorem informacionem et verificationem predictorum dominus Andreolus Paradiso de vestro mandato licenciatus ad vestri presentiam accedit qui de omnibus gestis et occurrentibus in partibus istis ad plenum vobis oretenus explicabit.

1369 — 26 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod inspecto tenore petitionis Syfredo de Fredenberg fratris Angelini quondam nostri comestabilis equestris nostris litteris iuxta mandatum vestrum executioni mandavi ad contentacionem dicti Sifredi et prout honore nostro credidi convenire et omni rationi deducta de eo quod dare et habere debebat idem cum pagatoribus nostri exercitus nsque ad diem obitus dicti Angelini idem Sifredus nomine vestre dominacionis predictos nostros pagatores integre satisfent. Ex quo idem Syfredus nomine dicti Angelini sui fratris vel cuius interesset, si qua fideiussione prestitisset de receptis per ipsum a dominacione vestra et de promissione per eundem vobis factam absolvendum venit et merito libenter audio eundem Angelinum de suo portamento pro tempore quo servit vobis merito recomdans.

Data in bastita nostra, XXVI marcij.

1369 — 27 Marzo 1.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Audivi quod vestra dominacio constituit duos cavalcatores huc venturos et una cum domino Jacobo Dolfino militi cavalcatore nostro ad custodia et regimen secunde nostre bastite mansuros de quo vestra serenitas ultra providere curavit. Nichilominus ad evidentiam agendorum cum reverentia vobis notifico quod hic in prima nostra bastita modo solus sum et si casus contingeret equitandi prout omni altera die evenire contingit aut videlicet guasta faciendi aut inimicos dampnificandum nescio quem dimittere loco mei et ego solus omnibus superesse non possum et maxime quia ut audio nostri provisores quam cito dicti cavalcatores aplicuerint Veneciis sunt venturi. Quo circa devote suplico ut de aliquibus ex nobilibus nostris providere dignemini huc venturis qui mecum si placet particulatim sui laboris assumant.

Quia fama est de expugnanda civitas Tergesti non primum non vidi et examinavi ab undique situs urbis et breviter meo iudicio nescio videre neque cognoscere quod dicta civitas expugnanda sit tamen iudicio sanioris consilii hoc reliquo et ideo ubi vestre dominacioni placeret possitis mittere de nobilibus nostris experti in talibus et secundum eorum iudicium provideri posset de expugnando vel de ommittendo et per quem modum et forte savio esse opinionem haberent nec res magis trahetur ad longum.

Verum quod usque nunc multa simulavi et temporizavi caute laborans iuxta meum scire et posse sperans per viam facti posse habere Tergestum sed modo res sic descoperta est quod nulla spes est habendi per viam facti nihilominus tamen pro posse faciam et experimentabo et me non facere quidquid potero per quemcumque modum ut vestra dominacio suum consequatur intentum.

Data in bastita nostra, XXVII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 27 Marzo — 2^a.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Juxta mandatum vestrum licentiavi redire Veneciis domino Andriolo Paradiso cavalcatorem nostrum qui hodie hora VI hinc recessit de cuius recessu ut verum fateor, pro contentamento mei male contentus sum et quod sua vita et voluntas mihi multum conformes sunt in faciendo execucioni mandando quecumque vestrum honorem spectare possent sed considerato casu accidentis in sua persona sed melioravit decrevit ut per convalescentia et salute ipsius Veneciis quam hic stando tute periculo remaneret. Verum deo teste possum dicere quod idem dominus Andriolus in quibuscumque vestrum honorem spectantibus ita bene viriliter et sagaciter se habuit et exercuit ut quis aliter de mundo facere potuisset pro cuius gestis et bono portamento vestram dominacionem novit merito comendandum. De bene facientibus bene dicere credo meum debitum adimplisse.

Data in bastita nostra XXVII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 28 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod per gentes nostras equestres et pedestres abundique infestor et sollicitor de expugnando Tergestum et hoc procedit prout considerare possum triplici ratione prima ex bona voluntate gentium nostrarum quam ex facto erga vestram dominacionem hunc habere demonstratum, secunda paga dupla trasmissa completa qua habere sperant et sic pecunie tertia propter predam et lucrum si Tergestum vinceretur, quod facerent etiam quia dominus Coradus de Oculo comes noster equester qui nuper huc applicuit est huius opinionis quod Tergestum debeat penitus expugnari considerato etiam quia fama

refertur maximus apparatus gentium ducis Austriae sit venturus in subsidium Tergestinarum et quod omnis mora semper periculum inducit, quibus omnibus attentis de predictis consuli cum dominis Comite de Urbino, Capitaneus maris et provisoribus nostris et breviter missis et examinatis omnibus partitis ultimo concludendo quantum pro nostro iudicio nos omnes videre non de aliqua spe vincendi Tergestum per viam pugne nisi solum uno modo videlicet cum et bastita et hoc non sine dampno gentium nostrarum et bene vadat res quam cumque velit. Hec omnia dominacioni vestre notifico ut super predictis providere ed disponere possitis placet quid fiendum an si experimentatio fienda sit in expugnando Tergestum an desistendo a pugna supplicans ut super altero de duobus mihi percipiendo mandare dignemini quid placet me facturum quia prout sic faciam et servabo.

Iterato supplicans ut pro bono agendorum predicta in pectore vestre mentis secreta consistant et eo casu quo placeant quo procedatur ad pugnam die vel sequenti futura mihi respondere dignemini quod si fienda est quam citius fiat tanto melius causis et rationibus suprascriptis et si dilacio vestra responsionis longior procederet nihilominus tamen expectabo et sic in suspenso stabo donec mandabitur quid fiendum.

Nihilominus tamen hoc non obstante quantum est pro vobis attentis considerare predictis et maxime bona dispositione et voluntate nostrarum gentium sumus huius opinionis experimentandi pugnam et accipere illam gratiam quam deus nobis prestare voluerit si res prospera procedet bene quidem si autem stabitur supplicans ut eo casu quo placeat quod procedat ad pugnam mihi mittere dignemini ballistrarios et bonos et ultra omnes illas gentes quas mittere potestis et hoc statim facere procuret vestra dominacio qaanto super quibus quid placet me facturum dignemini per Laurentium Maurocenum nipotem meum latorem presentium quem hac de causa ad vestri presentiam mitto mihi velocem mittere responsionem.

Data in bastita nostra, XXVIII marcij.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — Marzo (P).

Serenissime et excellentissime mi domine.

Dominus Nicolaus comes de Montefeltro mittit Veneciis Zaninum de Ymola comilito noster equestrium deinde iturum ad partes dicti domini comitis per certis suis negociis peragendis. Quo circa pro parte dicti domini comitis supplico ut eidem Zanino dari facere dignemini ducatos XV nomine dicti domini comitis super eius provisionem.

Data in bastita nostra.

(Manca la data).

1369 — Marzo (P).

Serenissime et excellentissime mi domine.

De comuni concordia et consilio dominorum Capitanei nostri maris, Comitis de Montefeltro et provisoris nostri heri dominationi vestre scripsisse modo et ordine expugnandi Tergestum prout per meis et etiam oretenus per Laurentium Maurocenum nepotem meum quem hac de causa ad vestri presentiam destinavi vestra dominacio nunc scire non dubito. Nunc autem reminiscens quod oblitus sum scribere de pallis, piconibus ferreis ad memoriam vobis quod eo casu quo placeatur ad expugnandum Tergestum dignemini providere qued mittantur palle X et piconis XX ferrei.

(Manca la data).

1369 — 30 Marzo.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Recepimus heri sero plures litteras vestras datas XXV et XXVII presentis mensis martii quo quibus vestram sollicitudinem commendamus. Et inter alias litteras recipimus unam datam XXVII in qua tangitis quod pluries vidistis et examinastis abundique situm Tergesti et breviter vestro iudicio non videtis nec cognoscitis modum nec viam per quam civitas sit expugnanda unde per modum recordationis dicebatis quod possemus mittere de nobilibus nostris expertis in talibus ad examinando de expugnando vel non expugnando civitatem. Hodie autem recepimus alias litteras vestras datas XXVIII martii nobis presentatam per nobilem virum Laurentium Maurocenum in quibus scribitis quod gentes nostre equestres et pedestres vos infestant de expugnando Tergestum propter rationes in ipsis litteris contentas in quibus concluditis quod examinatis omnibus partitis cum capitaneo maris, comite de Monteferetro et provisoribus non habetis spem vincendi Tergestum per viam pugne nisi cum lanceis et scalis, etc. et quod in casu quo nobis placeat de procedendo ad pugnum quod mittamus vobis ballistarios CC etc. Super quibus omnibus respondemus vobis quod ante receptionem primarum et secundarum litterarum vestrarum predictarum iam provideramus et eligeramus quinque nobiles infrascriptos venturos ad bastitam pro examinando una vobiscum et referendo nobis id quid vobis et eis ae cavalculatoribus et provisoribus videbitur tam super facto dandi pugnam civitati quam aliis facientibus pro bono agendorum nostrorum. Qui nobiles recessuri sunt die lune post pascha proxima; unde supersedeatis super facto predicto donec venerint et redierint ad nos quia tunc providebitur sicut concedente domino melius fuerit. Preterea quamvis scripseritis nobis quod continue sollicitatis facere guastum generale hostibus nostris quod valde nobis placet tamen ad cautelam non cessamus iterato et iterato vobis replicare de dicto guasto fiendo quia hoc cognoscimus multum et notanter facere pro factis nostris. Ad factum Ungarorum stipendiariorum nostrorum qui sunt in Iustinopoli rescribimus vobis quod statim faciatis ipsos venire ad vos et si forte non possetis bene tenere ipsos in bastitis mittatis Iustinopolim de aliis stipendiariis nostris qui vobis videbuntur; et de cetero pro omni bono respectu si aliud facere non possetis non mittatis nec teneatis ungaros in civitatibus vel castris nostris.

Nobiles autem sunt hij: Ser Nicolaus Trivisano, Ser Marcus Delphyno, Ser Marcus de Priolis, Ser Petrus de la Fontana, Ser Nicolaus Iustiniano.

Data in nostro ducali palacio, penultimo mensis martii, Indictione VII.

Recepta die II aprilis.

1369 — 31 Marzo.

Serenissime et excellentissime mi domine.

De conscientia dominorum nostri Capitanei maris, Comitis et provisorum nostrorum per meas litteras etiam per Laurentium Maurocenum nepotem meum quem hac de causa ad vestram presentiam destinavi vobis scripsi de expugnando Tergestum. Modo autem reminiscens quod opus esset omnino habere de palis et piconis ferreis pro forando muros ad memoriam vobis reduco ut eo casu quo placeat vobis quod Tergestum expugnari debeat providere dignemini de pallis ferreis circa X et de piconis circa XX mihi subito transmittendis per deum supplicans ut de veretonis in quantitate oblivioni mittere non tradatis.

Data in bastita nostra, ultimo marcij.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod dominus Moyses miles et Moysinus de Iudicibus de Segna comilitones nostri equestres prout vestra dominacio bene novit iam pluribus diebus ad servicia nostra cum eques L huc venerunt de quibus monstram feci eos ad nostrum stipendium scribi feci et vere de nostris et eorum apparatu bene possum merito contentari modo sic est quod ipsi mihi duo requirunt. Primo, petunt scribi et solidum lucrare debere ea die qua de domo suo recesserunt pro veniendo ad servicia nostra; secundo, petunt provisionem ducatorum L in mense asserentes ipsi quod cum dominacione vestra sic con-

venerunt et quod vos sibi facere promisistis. Super quibus dignetur serenitas mihi declarare et precipiendo mandare quid erga ipsos placet me facturum.

Data in bastita nostra, tercio aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 2 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobilibus et sapientibus viris Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generalis terre in Istria, Cressio de Molino Capitaneo generali maris ibidem, Jacobo Delphino militi equitatori ibidem, nec non Marco Mauroceno et Nicolao Polani provisoribus in dictis partibus fidelibus dilectis salutem ed dilectionis affectum.

Mittimus ad bastitas nostras Nobiles et sapientes viros Nicolaum Trevisano procuratorem, Petrum de Lafontana, Marcum Delphino, Marcum de Priolis et Nicolaum Justinianum dilectos et honorabiles cives nostros, quibus commisimus quod debeant esse vobiscum et aliis qui videbuntur eis et examinare si civitas Tergesti possat expugnari et capi per vim belli et cum quanta gente et cum quibus edificatiis et in quibus locis et quando et de omnibus aliis que facerent ad dictam nostram intentionem. Informando etiam se de numero et condicione gentium nostrarum equestrium et pedestrium que sunt in utraque bastita et condiciones civitatis et hostium nostrorum et de omnibus aliis que facientur pro bono agendorum nostrorum et cum omni plena informatione quam habent, redeant Venetiis quam citius poterunt; et est ordinatum et captum, quod vos etiam scribatis nobis opiniones vestras et in reditu dictorum nostrorum nobilium provideatur sicut videbitur bonum. Quare cum nostris consiliis minori rogatorum XL et zonte fidelitati vestre scribimus et mandamus quantum debeatis esse cum dictis nostris nobilibus et observare in quantum vos spectat sicut superius continetur.

Data in nostro ducali Palatio die secundo aprilis, VII Indictione.

1369 — 4 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Receptis sex litteris vestre dominacionis datas XXII, XXIV et XXVIII et penultimo marcij his diebus plura continentibus respondeo reverenter, et ad primam et ad secundam, quod de stipendiariis fugitivis de Tarvisio si hic in bastitis nostris inveniri poterunt de marescalcho et submarescalcho nostris quorum alter stare debet in secunda bastita et de provisione ducatorum XX per Franciscum de la Parte portantem baneriam Sancti Marci exequatur ut in vestris litteris continetur. Ad terciam, ubi tangitis de guastis per me factis et quod ut fiant de cetero sim sollicitus et intentus, etc. et de munitione pro secunda bastita rescribendo vobis particulariter de quantitate farine et biscoti que est Iustinopoli et bastite, etc. respondeo, et primo, quod de guastis pro posse facio et faciam ut mandatis. Secundo vero pagatores nostri de ipsi vobis ad plenum respondisse deberint et cum ad vos venerint plenius informabunt. Iuxta mandatum vestrum unum ex lignis nostris statim hinc recessit Capulam pro pecunia et veretonis.

Ad quartam, ubi tangitis de stipendiariis nostris et maxime de Tarvisinis qui fugam aripiunt prout a vestris rectoribus tarvisanis mandatis mihi quod talem remedium apponere debeam quod sine mei licentia non accedant sub gravi pena, etc. respondeo, quod de stipendiariis ad presens nulli vel pauci sine licentia recedunt de quibus tamen non est mencio facienda sed quis legem in campo dare possit stipendiariis quin recederent si velent aut causa rixe aut causa debiti aut causa furti quum iam stipendarios nostros et alios sub clavi teneri non possum. De peditibus autem tarvisinis fateor quod omnes quasi breviter recesserint quidem Rizardo de Asiano comilito pro comunitate Mestris alii vero cum aliqui cum aliqui cum aliquibus obedientes habentes quid perdere remanserunt. De fuga quorum miror vos prius sensisse per litteras dictorum nostrorum officialium Tarvisianorum quam per meas quas vobis multis de quibus nullam vos recepisse videtur; scire vos faciens

quod ante eorum fugam per pluries dies comilitones et caporioni tarvisani fuerunt ad me asserentes quod terminus duorum mensium pro quibus servire promiserant propinquabat et quod completo termino plus servire non poterunt rogantes ut alterum facerem de duobus aut nihil quod eos licentiarem redire domum aut quod eis de pecunia subvenirem ut vivere possent quibus respondi quod eis licentiam non facerem dando eis verba pro verbis ad pecunie quod providerem et quamquam voluisse pecunia mihi aderat quare a vobis vel verum quod ad eorum presentiam dominacioni vestre scripsi pro illis de civitate Tarvisii quod aut contracambio aut de pecunia eis providere deberet scripsi etiam pluribus aliis nostris rectoribus tarvisanis de quo nullum responsum habui. Ex quo ultimo predicti pedites tarvisini non habentes unde vivere durare non valentes recesserunt. Reliquis autem hic existentibus notum feci de fugitivis carceratis quod sub pena certa sine speciali licentia in ultimo de bastitis nostris recedere non presumant quam penam exequar ut mandatis. Super quo vestra dominacio nunc disponat sicut placet.

Ad quintam, ubi tangitis de comitibus Goricie quibus requiram quod modum teneant ut farina et alia victualia de Cornial et aliis suis locis non mittantur aliter si contrafieret providetur prout honori nostro conveniret, respondeo quod ita faciam et exequar ut mandatis et sic hactenus feci et modo si bene velent mittere non posse.

Ad sextam et ultimam multis meis litteris responsiva, ubi tangitis de quinque nobilibus huc venturis super facto expugnandi Tergestum et aliis pro bono agendorum, etc. respondeo quod vestra dominacio in hoc utiliter procedit de quo maximum contentum et ipse percepi. De Ungaris vero ita faciam ut mandatis.

Data in bastita nostra, IV. Aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 4 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitano generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Cum magister Johannes de Vinea marangonus sit ad presens nobis necessarius pro laborerio quarundam palatarum comunis quas iam inchoavit, scribimus vobis etiam detis ei licentiam veniendi ad nos occasione predicta.

Data in nostro ducali palatio die quarto Aprilis, VII Indictione.

1369 — 8 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapientibus viris Dominico Michaeli Capitano generali terre, Thaddeo Justiniano, Capitano generali maris nec non Marco Mauroceno et Nicolao Polani provisoribus ibidem, ac Nicolao Trivisano Procuratori et sociis de suo mandato ad bastitam, vel eis qui se ibi reperient, fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Comparuit coram nobis quidam Naninus de Bononia qui se asserit valde instructum et expertum in ingeniis fiendis et aliis argumentis ad captionem terrarum et locorum sed dixit opus esse prius quam quantumque promittere possit quod videat civitatem et situm ipsius quapropter ipsum mittimus ad bastitam super ligno presenti. Mandantes vobis quatenus teneatis illum modum qui vobis videbitur in faciendo quod possit videre civitatem Tergesti per terram et per mare facientibus vobis provisionem sibi et uni sui socio expensis oris eundo stando et redeundo et ordinetis quod dictus Naninus inspecta terra predicta revertatur ad nos faciendo ipsum reduci cum aliquo ex navigiis nostris ut vobis videbitur.

Data in nostro ducali palatio, die octo Aprilis, Indictione VII.

Recepta die XIII Aprilis.

1389 -- 10 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod domini Nicolaus Trevisano et Iustus Foscarino pagatores nostri exercitus Tergesti factis et assignatis suis rationibus diligenter cum pagatoribus et camerariis vestris novis hodie ab hinc recesserunt ituri Iustinopolim causa assignandi relique que ibi sunt inde ad vestram presentiam accessuri. De quorum bono portamento sollicitudine et labore passo per eos yheme preterita penes vestram dominacionem pro recomendatis merito sunt habendi.

Data in bastita nostra, X aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1389 -- 12 Aprile.

Serenissime ed excellentissime domine noster.

Vestra noverit celsitudo quod die Marcii IIII mensis presentis huc applicuerint nobiles viri domini Nicolaus Trevisanus et socii. A quibus vestre dominacionis litteras recepimus continentes causam sui adventus tenore quarum inspecto statim iuxta mandatum vestrum prout ipsis dominis placuit et plures simul cum ipsis ivimus vidimus et abundique examinavimus condicionem et situm Tergesti si per vim armorum poterit expugnari, licet tamen ante per plures dies prout ego capitaneus terre scripsi hoc vidissemus et examinavissemus et breviter visis et examinatis omnibus partitis quibus possibile esset posse expugnari prefati domini nobiscum et nos simul cum ipsis fuimus et sumus de una opinione concordantes quod Tergestum non est penitus expugnandum quare virtuti ballistrariorum rationabiliter convinci non posset. Prout de predictis et aliis prefati domini, qui oculata fide omnia vident cum ad vestri presentiam accesserint vobis poterunt oretenus clarius explicare. Preterea prefati domini et nos simul cum ipsis fuimus et vidimus mon-

stram generalem de omnibus nostris gentibus equestribus et pedestribus in bastitis nostris existentibus et prout repertum est de ipsa monstra videlicet qui et quod et quales sint ipse nostre gentes prout in scriptis eis dedimus prefati domini singulariter vobis portant.

Ceterum attendentes mandatum vestrum de faciendo fieri guasta affatim abundique circa Tergestum dominacionis vestre ad memoriam reducimus quod pro velociori expedicione agendorum crederemus esse bonum quod ubi serenitati vestre placeret providere dignemini de duobus nobilibus viris qui superessent quod guastatores et eos laborerios et guasta fieri facienda intenderent nec non et providere de guastatoribus oportunis et in copia sive de Ystria sive de aliunde prout placuerit considerantes quod ad presens nihil melius fieri potest quod guasta secundum nostrum scire et videre vestrum habeatis intentum, et quod per dei gratiam bastite nostre sunt in satis bono puncto.

Scire vos facientes quod propter guasta que facta sunt circum bastitas necesse erit ire longius ad faciendum ipsa guasta et si bene fieri debent ne perdatur tempus oportebit supstantes et guastatores ipsos stare ad campum quibus bene de messi et scorta eorum securitate providebimus pro honore vestro ut fuerit oportunum.

Da facto vero custodie bastitarum nostrarum firmi sumus de illa opinione de qua alias vobis scriptum fuit et quia a dominacione vestra super hoc nihil per ea aliud in mandatis habuimus sic supersedimus quod de hoc vobis nullam facimus mentionem.

Verumtamen circa factum monstre dominacioni vestre notificamus quod multe bande sunt ex ipsis que sunt male in ordine tam equestres quam pedestres prout prefati domini vobis explicare poterunt quo circa super hoc dignemini providere quod fitemus prout placuerit et pro honore nostro fore videbitis oportunum.

De pecunia ibi non est illa IIII sunt expense vel quinque, de feno nihil est de quo stipendiardi nostri penuriam maximam patiuntur hoc procedit ex nostrorum pagatorum fenum qui de duxerint prout

vobis bene scriptum est de quibus providere dignemini ut mit-
tantur mille.

Data in bastita nostra, XII aprilis.

Dominicus Michael Capitaneus terre	}	de vestro mandato
Cresius de Molino Capitaneus maris		
Marcus Mauroceno	} Provisores	in Istria.
Nicolaus Polani		

1369 — 13 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Heri sero dominus Tadeus Iustinianum capitaneus vester maris huc aplicuit a quo litteras quinque vestre dominacionis recepi datas VI VII et VIII aprilis ad contenta quarum, et primo ad tres super querela domine comitisse de Goricia cum capitulis, ex littere dominorum ducum Austrie mihi per eos misse, querele ipsis inclusis, respondeo reverenter quod quam cito ambaxatores ipsius domine comitisse venturi ad me ut scribitis huc aplicuerint et ab ipsis intencionem suam audivero tunc de expositis mihi per ipsos ambaxatores et de capitulis querele statim iuxta mandatum vestrum super unoquoque capitulo dominacioni vestre distincte et particulariter respondebo. Tamen unum vos facio quod dum congregatio et apparatus farine et aliarum victualium facta essent in quadam villa dicta Cornial dicte domine comitisse confinis Muchono territorii tergestini pro conducendo ipsam farinam et victualia ad Muchonum et deinde Tergestum et audito quod illi de Muchono pluries venerant et venturi erant pro dictis victualibus conducendis ad obviandum predictis aliqui ex nostris gentibus se posuerunt in aguayto super territorium tergestinum pro capiendo nostros inimicos de Muchono cum predictis victualibus. Sed nunquam eos capere potuerunt quia statim predicti de Muchono sencientes adventu armorum se reducebant in dictam vilam Cornial verum quod una die aliqui ex nostris sachomanis, sine mei consciencia

et licencia, iverunt ad dictam vilam Cornial et ibi acceperunt certa animalia et equos et alias res de quibus ablati hoc pati non volens pro honore nostro statim scripsi habitatoribus dicte ville qui venirent accipere sua animalia et res ablatas, sua ablata restitui feci. Qui cum litteris mee fidancie venerunt ad me et statim eis restitui feci dicta sua animalia et equos vero ut massaricias ablatas dum recuperatas de manibus habitantium tune restituere non potui qui tam cito habere non potui sed recuperatis eis iterate et iterate scripsi ut eas res venirent acceptari sed nunquam venerunt et adhuc res ipsas habeo sequestratas; eadem hora predicti de Cornial acceperunt ipsis nostris sachomanis equos quatuor et unum ex ipsis sachomanis interfecerunt de quo nostre gentes conqueste mihi sunt et pro parte earum petitum fuit dicto domino comiti Goricie et eorum officialibus ut nostris gentibus restitui facere placeret dictos equos quod minime facere voluit ex quo ab illo tempore citra res sic in-suspensio remansit. Quod parte dicte comitisse mihi nihil requisitum fuit et credo quod steterunt de repetendo res suas predictas solum ne restituant dictos equos quia erant maioris precii quam essent res ablatas que non erant restitute set ut premittitur dictos ambaxiatores expecto et cum venerint de promissis vobis clarissime respondebo. Super facto vero litterarum dominorum ducum Austrie presentibus nostris litteris inclusis responsionem super inde per me sibi factam dominacioni mitto presentibus introclusam.

Ad quartam, ubi tangitis de rationibus marangonis et calefatis confici non possunt et quod vobis eis mittere debeam in scriptis etc. respondeo quod de predictis requisitis per dominos nostros pagatores nostri exercitus ab hinc recesserint venturi Veneriis cum eorum quaternus rationibus predictorum qui de promissis vobis integer respondebunt.

Ad quintam et ultimam, ubi tangitis de die quo debeant bandas domini Moysi militis et Moysini de Segna comilitones nostri equestres et de eorum provisione ducatos XXVI in moneta pro quolibet eorum in mense sibi danda ita faciam ut mandatis. Supplicans per deum ut de pecunia subvenire dignemini quia

sine ipsa nihil fieri potest et de feno pro equis quia ibi non est et quod predicta subito transmittantur.

Data in bastita nostra, XIII aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestre dominacioni significo, quod concessi licentiam Ambroxio Martignono caporali in baneria Johanni de Lazaro (?) cum posse venire secure et inde pretextus suis negotiis, stare et redere per dies XV tantum eundem Ambroxium de suo bono et fideli portamento merito commendans.

(Non processit).

(Manca la data, il luogo e la firma).

1369 — 16 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod Petrus de Gosmeriis S. civis noster Veneciarum habitator terre de Mugla qui captivus erat in Tergesto relaxatus et liberatus fuit a carceribus per Tergestinos die XV mensis presentis hora terciarum et hoc processit ad petitionem domini patriarche aquilejensis et quod dictus Petrus sit civis et habitator terre de Mugla. Interrogatus et examinatus ipse per provisosores nostros et me diligenter de conditionibus et statu Tergestinatorum respondit singulariter per capitula prout inferius continetur.

Et primo, pro causa qua ipse Petrus statuire potuit per custodes carcerum qui ipsum custodiebant quia aliter nihil sentire potuit. Dixit quod in Tergesto sunt homines VIII centum ab armis inter quos sunt CCCC bene armati et furniti de curagiis et barbutis reliqui vero satis comiter sunt armati.

Secundum, quod Tergestini tenent bladum et farinam per uno anno et adhuc carnes salatas per aliquo tempore de illas quas hac hyeme derobaverunt super territorio Pirani et aliis locis Ystrie.

Tercio, quod magna divisio et contencio est inter eos quia illi qui habent professiones libenter velent concordiam et pacem et dolorosi sunt ad mortem de guera. Reliqui vero nihil vel parum habentes stant fortes et constantes in opinione sua de tenendo et defendere se usque ad ultimum de potentia.

Quarto et ultimo, illud quod magis aggravat Tergestinos et de quo magis comiter conqueruntur sunt guasta facta et que fiunt asserens ipse Petrus quod nulla est res de mundo que citius trahere possit Tergestinos ad intencionem dominacionis vestre quam ipsa guasta. Alia relatu digna dixit se non potuisse sentire.

Quo circa predictis attentis iterato dominacioni vestre ad memoriam reduco quod de duobus suprastantibus ad faciendum fieri guasta huc venturis providere dignemini nec non de guastatoribus et in quantitate ut fientibus guastis ipsis undecumque per territorium tergestinum citius vestram intencionem habere possitis maxime cum ipsa guasta ad presens melius et comodius fieri possint quam nunquam quia bastite nostre sunt in bono puncto de quibus nullum regardum habere potestis ita quod guastis fiendis nunc melius intendi poterint. De expugnando vero Tergestum virtute armorum rationabiliter nulla spes est eo quod Tergestum habundans viribus fortissimis est ultra modum.

Iterato et iterato supplicans ut de pecunia sine qua nihil fit quia et quia pauce vel nulle page facte sunt et de feno pro equis providere dignemini quod subito transmittantur.

Data in bastita nostra, XVI aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 17 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Ille magister Naninus de Bononia quem vestra dominacio huc misit pro videndo situm Tergesti abundique in terra et mari vidit et examinavit situm ipsum et semel et plures prout sibi placuit qui multa et multa dixit se facturum. Modo idem magister Naninus de predictis bene provisus et informatus ad dominationem vestram redit de his vobis relationem facturum quem audire poteritis et dispoere et procedere pro vestre libito voluntatis. Scire vos faciens quod ibi de pecunia non est et de feno et modici veretoni de subvencione quorum omnium providere dignemini quod subito transmittantur.

Data in bastita nostra, XVII Aprilis.

1369 — 18 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Considerans inter cetera quod fortificia Muchoni multum faceret factis nostris ut supra Tergestum citius vestram habeatis intencionem iterato equitavi hodie ad dictam fortificiam Muchoni causa videndi quod fieri possit et viso et examinato abundique situ dicte fortificie dominacioni vestre notifico quod ipsa fortificia capi et haberi poterit ut credo per alterum de modis infrascriptis. Primo videlicet aut expugnando ipsam fortificiam vi armorum et licet sit fortis in apice montis situ tamen credo quod convinci poterit per gentes nostras manu cum scuto et lancea. Sed constabit quod sine dubio de gentibus nostris moriantur. Verum quod stipendiarii nostri petunt pagam duplam ut servitium compleri. Secundo, aut obsidendo ipsam fortificiam et ratio quia predicta fortificia non habet aqua unde posse vivere quandocumque obsessi fuerint et quia habet muros bassos et fragiles et habendo una vel duas manganellas de ille maris ad manganandum inter ipsam fortificiam ultra unum mensem durare non poterint. Quo circa dominacioni vestre supplico ut

super alterum de modis suprascriptis placet quod experimentari debeam mihi percipiendo mandare dignemini quod placet me facturum quia si mandabitis ipsam fortitiam expugnari debeat faciam iuxta mandatum vestrum; si vero mandabitis quod obsideri debeat cum habeam gentes ad sufficientiam possendi hoc facere cum securitate bastitarum nostrarum exequar prout vestra dominacio mihi duxerit iniungendum.

Data in bastita nostra, XVIII aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 20 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Scribimus et mandamus vobis quod applicatis ad bastitas tribus banderiis equestribus infrascriptis licentiare debeatis Rizolinum et Henginolfum et suam brigatam de Tervisio que fuerunt circa pagas LX et banderiam equestrem Zigognati de Corneliano ita quod completa firma eorum possint cum gratia nostra redire Venecias.

Comestabiles autem dictarum trium banderiarum sunt:

D. Johannes de Cancellariis miles.

D. Johannes de Mendor theutonicus miles.

Et Adam de Alexandris.

Data in nostro duicali palatio die XX Aprilis, VII Indictione.

(Lettera sciolta nell'Archivio Generale di Venezia).

1369 — 20 e 21 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Vestra noverit celsitudo quod heri sera huc aplicuit dominus Nicolaus Basilio cavalchator noster, et hodie mane huc aplicuit

dominus Petrus Grimani cavaleator noster et attendens mandatum vestrum de uno vel duobus cavaleatoribus nostris mansuris ad custodiam et regimen custodie bastite superiori prout mihi videbitur feci et collacionem habui cum dominis Jacobo Dolfino et ipsis Nicolao et Petro omnibus cavaleatoribus nostris simul et etiam cum dictis nostris provisoribus qui omnes simul ego cum ipsis fuimus de una opinione concordēs quod pro bono agendorum duo ex ipsis cavaleatoribus stare et remanere debeant ad custodiam et regimen bastite superioris et habita collacione deliberacione inter nos omnes simul per quem modum hoc fieri deberet an videre per texeris an pro electione sponte fienda simul et singuli ipsi domini nostri cavaleatores fuerunt de eorum spontanea voluntate concordēs fuerunt quod dicti domini Nicolaus Basilio et Petro Grimani stare et remanere debeant ad bastitam superiorem et quod idem dominum Jacobum stare debeat hic in bastita inferiori et sic factum est. Preterea hodie huc aplicuerunt stipendiarii cum eorum equis sed eorum comilitones nundum venerunt. Dominus Johannes de et Raynaldus de Mōdā et Adam comes noster equestris cum eorum quos statim remisi Justinopolim quod huc comode stare non potuissent alter aptaretur Nostri domini provisors iuxta mandatum vestrum cras hinc recedent venturi Veneciis qui de omnibus gestis et occurrentibus in partibus istis ad plenum informati dominacioni vestre melius dicere et declarare poterint quam possum ego cum calamo denotare.

His diebus continuate misi et tenni et hodie habeo iterato certos nuncios exploratores ad partes Austrie, Goricie, Lubiane, Forijulii et aliunde causa inquirendi et explorandi de condicionibus et de occurrentibus in partibus illis ut pro conservatione nostri honoris provisus esse possum melius in agendis. De quo hucusque quid certum et sicurum sit dominacioni vestre scribere non curavi quia res magis processit ad longum quam credebam. Quocirca serenitati vestre suplico ut mihi percipiendo mandare dignemini si vestre intencionis est et placet quod huiusmodi nuncios et exploratores mittere et tenere debeam in partibus suprascriptis causa inquirendi ut supra quare prout mandabitis sic exequar et mandabo. De quibus nunciis et explo-

ratoribus missis dominacioni vestre nihil scripsi quum mihi melius visum fuit pro meliori tacere de ipsis nunciis missis et ratio quia quidquid vobis de predictis scribo sunt statim omnibus manifesta verum quia nihil de novo ab ipsis nunciis habeo quod scribendum sit dominacioni vestre sed si quid per ipsos de novo habere et sentire continget id statim dominacioni vestre scribere non tardabo.

De pecunia unns ibi non est et stipendiarii maxime conqueruntur quia sue page fieri non possunt de veretonis et feno per deum providere dignemini quod mittantur.

Factis his litteris habui per certos meos nuncios de Forojulii quod parlamentum fieri debet ad Vinzonum in quo esse debent dominus patriarcha, comes Goricie, comes Duyni et duo milites ambaxatores dominorum ducum Austrie; causam huius parlamenti ignoro verum quod misi meos nuncios ad partes illas causa explorandi et intendendi de dicto parlamento spero quod quid fiet senciam et quidquid inde habuero dominacioni scribere non tardabo et iam comes qui nuper veniebat de partibus Austrie recessit de Duyno pro eundo Vinzonum.

Data in bastita nostra, XX et XXI aprilis.

Vester Dominicus Michael, etc.

1369 — 21 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie, fidei dilecto salutem et dilectionis affectum.

Nicolaus de Tridento magister scloporum quem nobis per vestra litteras commendastis fecit sollicite diligentiam suam circa expeditionem eius quaquidem expeditio esse non valuit nisi modo. Quare ipsum ad vos remittimus. Patroni autem nostri arsenatus mittunt per galeam sive usserium paratum ad recessum balotas et pulverem pro sclopis.

Data in nostro Ducali Palacio, die XXI Aprilis, Indictione VII.

1369 — 21 Aprile.

Serenissime et excellentissime mi domine.

Receptis vestre dominacionis litteris continentibus quod quam cito cavalcatores nostri huc aplicuissent domini Nicolaus Polani et Marcus Maurocenus provisosores nostri debere venire Venecias statim ipsas litteras ostendidi ipsis dominis nostris provisoribus qui mihi responderunt quod idem mandatum habuerunt a dominacione vestra unde quam cito ipsi domini provisosores barcham habere potuerant statim hodie ab hinc subito recesserant. De quorum bono et sollicito portamento laboribus et fatigis per eos missis Justinopoli et hic specialiter in bastitis licet non expediat me hoc dicere penes vestram dominacionem per recommendatis merito sunt abunde et ut verum fatear ubi dominacioni vestre placuisset multum contentus fuisset quod ipsi mecum ibidem remansissent tum pro eorum bono et sano consilio quod in scriptis multum melius conferebat tum pro laboribus quos secum ipse partiebar ut plurimum accidit in agenda.

Data in bastita nostra, XXI aprilis.

1369 — 27 Aprile.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et Sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Quia utilissimum habemus facere guastum generale contra Tergestinos captum est cum deliberatione nostrorum consiliorum minoris rogatorum quadraginta et zonte mittere duos provisosores ad bastitas qui presentent se vobis et sollecite et diligenter superstent et attendant ad faciendum fieri guastum taliter quod totum territorium Tergestinarum devastetur quam cicius esse potest. Quiquidem provisosores usque ad paucos dies erant ibi. Nihilominus per nos et dicta consilia nostra scribimus et mandamus vobis quatenus ne tempus amittatur in facto predicto interim donec venient dicti duo provisosores sollicitetis cum omni

instancia facere fieri dictum guastum quantum plus potestis. Recepimus his diebus plures litteras vestras et inter ceteras unam facientem mentionem de novis que habuistis de parlamento celebrando inter patriarcham aquilejensem cum comite Goritie et ambaxatoribus ducum Austrie. Quod quidem novum habuimus etiam nos a diversis personis et id etiam ante receptionem litterarum vestrarum significaveramus. De novo autem habuimus a potestate nostro Clugia quod Franceschinus Bellaymo de Clugia nuper venit de Ancona Clugiam dicens quod pridie ipse emit in Ancona saumas CC frumenti pro conducendo ad partes istas et invenit ibi quemdam tergestinum qui emerat saumas V^{c.} frumenti ibi et voluit emere a dicto fidele nostro dictas CC et procurabat emere de alio cum intentione conducendi ipsum frumentum Tergestum. Cnm igitur ex predictis manifeste comprehendamus quod Tergestini publice vel clam aut per mare per viam Fluminis quod est Comitatus Duyni, aut per terram conabuntur immittere frumentum et victualia in Tergestum scribimus et mandamus vobis quatenus sollicitudinem diligentiam et custodiam habeatis et haberi faciatis ne victualia portentur in Tergestum.

Data in nostro ducali palatio, die XXVII aprilis, Indictione VII.

1369 — 28 Aprile.

(Lettera sciolta nell' Archivio Generale di Venezia)

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie, fidei dilecto salutem et dilectionis affectum.

Recepimus hodie litteras vestras datas XXVI presentis mensis aprilis per quarum alteram scribitis quod ob rationes in ipsis vestris litteris expressas credebatis esse bonum quod ille LX poste equestres de nobilibus Tarvisinis videlicet Rizzalino et Hengenulfo et sociis remanerent ibi pro custodia et defensione bastitarum nostrarum unde intendebatis temporizare et superseedere donec a nobis haberetis aliud in mandatis. Super quo

rescribimus vobis per nos et nostrum collegium ad hoc plenam libertatem habens quod quamvis bona causa vos moveat tamen pro novis hic sonantibus de partibus Tervisane deliberavimus ipsos Tervisinos hic velociter habere pro mittendo ipsos ad frontieras cum aliis gentibus nostris scilicet ad Motam et Portum Buffoletum; unde mandamus vobis ut ipsos ad nos remittatis iuxta formam primi nostri mandati.

Data in nostro Ducali palatio, die XXVIII aprilis, Indictione VII.

(Questa lettera fu ripetuta al 1.^o Maggio).

1369 — 30 Aprile.

(Lettera sciolta nell' Archivio Generale di Venezia).

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo Generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Significamus vobis quod per nos et nostra consilia minus rogatorum XL et zonte in millesimo trecentesimo sexagesimo nono die penultimo aprilis capta fuit pars infrascripti tenoris fidelitati vestre mandantes cum consiliis nostris predictis quatenus eam in quantum ad vos spectat observetis et faciatis inviolabiliter observari. Tenor autem dicte partis talis et videlicet: Quod scribatur omnibus nostris rectoribus Tarvisii et Tarvisane et Cene'ensis quod faciant publice proclamari quod omnes et singuli pedites dictorum locorum qui recesserunt a bastitis nostris contra Tergestum absque licentia capitanei si comparebunt usque XV dies a die cride facte coram rectoribus suorum locorum et facient se scribi pro redeundo et redibunt ad presentandum se capitaneo nostro generali terre et servient libere absque soldo aliquo per unum mensem continuum ad mandatam dicti nostri capitanei inchoandum a die qua applicuerint ad bastitas completo dicto mense sint absoluti ab omni pena quam incurrissent occasione falli quod fecerunt recedendo ab exercitu absque licentia capitanei et completo termino predicto possint statim recedere et si

aliquis ex predictis fallitis capti nunc sunt in partibus Trevisane et Cenetensis occasione dicti recessus et steterunt in carcere per unum mensem ipso facto sint absoluti et libere relaxentur. Si vero non complevisset dictum mensem sit in eorum arbitrio aut complendi mensem in carcere aut redeundi ad bastitam ad serviendum libere absque soldo aliquo tempus quod sibi deficeret ad standum in carcere. Item si rectores nostri predicti fecissent aliquos de predictis vel plezios eorum solvere aliquam quantitatem pecunie occasione sui recessus si voluerint ire et servire in bastitis ut dictum est restituatur sibi integre pecuniam quam solvissent. Item si de illis qui sunt in carcere vel plezii sui solvissent aliquid occasione predicta si voluerint ire ad serviendum bastitam per unum mensem sive tempus quod sibi restat stare in carcere restituatur sibi id quod solvissent. Et si voluerint complere mensem in carcere restituatur eis quod solvissent. Si vero predicti pedites qui taliter recesserunt a bastitis absque licentia non comparebunt coram rectoribus ad terminum superscriptum non redibunt et servient ut dictum est ex nunc habeantur pro condemnatis ad standum uno mense in carcere et rectores dent opera de faciendo eos capi, insuper quia dicitur quod aliquis ex dietis fallitis redierunt ad bastitas et sunt conzati per capitaneum nostrum predictum omnes illi qui usque in diem cride predictae reperientur conzati per capitaneum predictum non intelligantur in ordinibus superscriptis sed remaneant in illo statu quo capitaneus illos recepit.

Data in nostro ducali palatio, die ultimo aprilis, Indictione VII.

Recepta die II maij.

1369 — 2 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et Sapienti viro Domino Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Sicut sepius vobis scripsimus deliberavimus cum nostris consiliis minore Rogatorum XL et zonte facere fieri guastum ge-

nerale in territorio Tergestinorum rebellium et hostium nostrorum ita quod universaliter totum territorium predicto omnino devastetur quam citius esse potest. Et ut hec nostra intencio cum omni sollicitudine fiat ellegimus duos provisores ad sollicitandum specialiter super hoc scilicet nobiles viros Moretum Bochassio et Donatum Geno qui sunt recessuri pro veniendo ad vos die sabati proxime venturi. Nihilominus quia mittimus presencialiter vobis magnum numerum bonorum guastatorum fidelium nostrorum de partibus Tarvisane secundum conductas eorum contentas in aliis litteris nostris fidelitati vestre per nos et nostra consilia supradicta scribimus. et mandamus quatenus non obstante quod dicti provisores nondum applicuerint debeatis cum omni studio et sollicitudine statim cum dicti guastatores vel pars eorum applicuerint non perdendo diem neque horam mittere ipsos et alios guastatores de Istria quos ibi habetis et habebitis ad faciendum dictum guastum mittendo ipsos cum bono ordine et custodia ita quod secure guastare possint et sic continuetis ita quod cito intencio nostra quam in tantum optamus de destruendo et guastandum totum dictum territorium ducatur penitus ad effectum. Tractando et tractari faciendo istos bonos guastatores dulciter et benigne ita quod habeant bonam causam bene guastandi. Qui guastatores receperunt de pecunia nostris Comunis lire XII parvorum pro quolibet pro uno mense. Rescribendo nobis quando dictum guastum inceperitis et quomodo factum procedet. Est enim nobis valde cordi.

Data in nostro ducali palatio, die II maij.

Recepta die IIII maij.

1369 — 4 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et Sapientibus viris Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie, et Thaddeo Justiniano Capitano Generali maris fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Significamus vobis pro informacione vestra quod nuper habuimus a persona fide digna quod dum nuper ipse esset in Utino locutus fuit cum uno nobile de Ragogna et quodam alio

de Castellerio qui fuerunt ad stipendium Tergestinatorum et recesserunt quia non habebant de quo pascerent equos qui sibi dixerunt quod illi de Tergesto fecerunt occulte unum artificium quamplurium vegetum picis intendentes cum dicto artificio scilicet cum dictis vegetibus conducendis ad bastitam cum igne intus posito comburere ipsam bastitam. Igitur vobis notificamus tam respectu bastitarum quam navigiorum nostrorum. Ceterum vobis Capitaneo terre ultra res contentas in aliis litteris nostris mittimus per usserium cuius est patronus Joannes Biello sécuris CCXXII de quarum receptione scribatis.

Data in nostro ducali palatio, die IIII maij.

Recepta die VII maij.

1369 — 5 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

In litteris vestris datis primo presentis mensis maij fecistis mentionem quod per gentes nostras capti fuerunt quatuor quos misistis Justinopolim custodiendos in carceribus de inde. Quo circa quamvis certi simus quod omnes exeuntes de Tergesto et Mucho qui quomodolibet deveniunt ad manus vestras vel gentis nostre diligenter examinetis tamen volentes abundare cautela scribimus et mandamus vobis quatenus illos qui sunt vel erunt in manibus vestris diligenter examinetis de statu et condicione Tergestinatorum et Mucho videlicet de numero et qualitate gentium existentium in dictis locis et de modo custodie quam faciunt et de condicione fortiliarum et de quantitate et qualitate victualium quas habent et de vulgaribus et argumentis suis, et de quibus sperant et de omnibus aliis fatiendibus ad informationem agendorum nostrorum notificando etiam nobis quecumque habueritis scientes quod scripsimus prefato potestati Justinopolis ut suprascriptos quatuor examinet.

Data in nostro ducali palatio, die V maij.

Recepta die XI maij.

1369 — 7 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Mittimus ad vos providum virum Petrum de Compostelis notarium et fidelem nostrum intentionis nostre plene informatum cui in dicendis parte nostra plenariam credulitatis fidem adhibeatis.

Data in nostro ducali palatio, die VII maij.

Recepta die VIII maij.

1369 — 10 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Recepimus et intelleximus plures litteras vestras pro quibus vestram sollicitudinem commendamus et valde placuit nobis id quod scribitis bene et sollicite procedi et continuari ad faciendum guastum generale contra nostros rebelles, significamus in super vobis quod ordinavimus ac commissimus Capitaneo nostro generali maris Istrie ut exigit de quolibet vino et riboleo quod ad presens est in mari apud exercitum nostrum et de cetero conducetur illud datum quod solvitur Veneciis ad introytum. Ceterum significamus vobis quod domina comitissa Goricie hodie ad nos misit duos suos ambaxatores cum certa ambaxata cuius copiam vobis mittimus presenti interclusam scribentes et mandantes vobis quatenus nobis quam cicius esse potest rescribatis distincte seriem facti in ipsa ambaxiata contenti ut possimus respondere cum honore nostro ipsis ambaxiatoribus qui hic expectant. Et inter alia certificatis bene nos de loco ubi illi rustici capti fuere et de ipsius loci conditione et si alias dedistis sibi licentiam laborandi in dicto loco.

Data in nostri ducali palatio, die X maij.

Recepta die XI maij.

1369 — 14 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum. etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Significamus vobis pro informatione rationum infrascriptorum stipendiariorum quod constat nobis per solutores nostros armamenti quod Mattheus de Civitella et Bartholomeus de Vando dictus Benazan, Joanes de Senis et Martinus de Cortona, Renoardus de Montevargo et Angelus de Bononia habuerunt pactum speciale cum Gulielmino de Angusolis nomine nostri domini quod prima prestantia debebat remitti in pagis duorum mensium de ducentis pagis quas ipsi duxerunt. Unde scribimus vobis quod cum ipsi dicant se restare ad restituendum de prestantia sua ducatus quadraginta pro banderia debeatis istos XL ducatos retineri facere de pagis duorum mensium uno videlicet qui complet ut dicitur hodie XIII maij et altero qui complebit ut dicitur XIII iunii proximi. Propterea fecimus de novo prestari Bartholomeo de Bando unus ex dictis comestabilibus nomine suo et duorum sociorum ducatos viginti quatuor auri videlicet ducatos VIII pro banderia scilicet Mattheo de Civitella et Joanne de Senis. Quare debeatis etiam istos XXIII ducatos auri facere statim retineri de primis pagis quas facetis istis tribus banderiis. Littera autem imprestiti istorum XXIII ducatorum quod vobis scribitur per solutores vobis mittimus presenti interclusam.

Data in nostro ducali palatio, die XIII maij.

Recepta die XVIII maij.

1369 — 15 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Ad requisitionem provisorum nostri communis fidelitati vestre scribimus quatenus occasione unius accuse eis facte de Nicoletto Baruto Sancti Viti de Venetiis contrafecisse ordinibus nostris examinare debeatis diligenter Nicolao de Sicilia de confinio Sancti Moysi ballistarium in bastita superiori olim scribam navis dicti Nicoleti primo delato sibi iuramento de veritate dicenda super capitulis contentis in cedula hic inclusa cuius dictum et attestacionem quam citius esse potest nobis cum dictis capitulis vestris litteris transmittatis.

Data in nostro ducali palatio, die XV maij.

1369 — 23 maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Accedens ad nostram presentiam Masinus qui fuit de Cividali habitator Conegliani exposuit noviter coram nobis quod Symeon de Onerio de Conegliano ejus gener qui est in exercitu nostro sub banderia Joannis quondam Fulcerii gravi corporis infirmitate tenetur adeo quod de ejus persona viriliter dubitatur supplicando nobis quanto vobis scribere degneremur quia pro salute et liberatione sua possit ad propria remeare. Quare fidelitati vestre scribimus quanto in casu quo constabit vobis ita esse ut exponitur sumus contenti quod licentiatis ipsum quod possit ad propria remeare.

Data in nostro ducali palatio, die XXIII maij VII Indictione.

1369 -- 24 Maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum, etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Recepimus et ad plenum intelleximus plures litteras vestras per quos cum instantia requiritis pecuniam vobis mitti pro pre-

stantiis et pagis fiendis stipendiariis nostris allegantes quod solutores nostri modicum pecunie habent. Super quas rescribimus vobis quod quinque nostri nobiles sunt venturi in brevi ad vos per quos pecuniam vobis copiose mitemus. Unde interim transeatis quam melius potestis quia usque paucos dies pecuniam apportabunt ut est dictum.

Data in nostro ducali palatio, die XXIII Maij.

Recepta die XXVIII maij.

1369 — 28 Maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo Generali terre, fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Intellectis litteris vestris datis vicesimo quinto Maij cum inclusis litterarum vobis directarum per Arthicum Marci de Venetiis et Petrum de Gusmeriis continentium inter cetera quod Franciscus de Bonhomis petit affidari posse venire a bastitam et inde intrare Tergestum eam ut dicit faciendi et operandi id quod poterit placere nobis; Rescribimus vobis per nos et consilia nostra minus rogatorum et zonta quod debeatis ipsum affidare quod possit ad vos venire et inde intrare Tergestum. Quo veniente audiat ea que dicere voluerit, et si dicet quod ea que fecerunt Tergestini sibi displicuerunt et quod pro parte sua semper fecit et faceret quidquid posset pro honore nostro vel similia verba respondeatis ei quod dominatio nostra et vos sumus bene informati de bona voluntate sua et quod credimus quod sic ostendet per effectum. Item si tanget aliquid quod Tergestini vellent mittere ambaxatores suos ad nos respondeatis ei cum placidis verbis quod mittere possunt. Quia dabitis sibi barchas et securum conductum. Propterea teneatis modum vestro posse quia dictus Franciscus postquam intraverit Tergestum redeat iterum ad vos sicut dicit se facturum trahendo ab ipso quantum poteritis de intentione sua et Tergestinorum condicionibus eorum et aliis omnibus facientibus pro nostra informatione. Et prima vice vel secunda qua erit vobiscum sicut vobis videbitur tangatis

sibi per dexterum modum quod nos reputamus ipsum nostrum Venetum tum pro bona voluntate quam semper habuit tum quia habet uxorem nobilem dominam de Veneciis et in ipso puncto posset facere rem per quam aquireret perpetuo gratiam nostram cum magno bono suo et totius domus sue dando sibi largam intentionem tam in promittendo sibi pecuniam juxta libertatem alias vobis datam quam in dando sibi omnem bonam spem habendo in predictis bonam cautelam ne fraus committeretur. Rescribendo nobis quidquid faceritis et habueritis.

Data in nostro Ducali Palatio die XXVIII Maij, septima indictione.

1369 — 30 Maggio.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in Istriam fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Constat nobis per officiales nostros Armamenti quod Bartholomeus Miorango Marangonus qui est ad bastitam nostram contra Tergestum jam dudum passus est parvum morbum caducum. Quare scribimus vobis mandantes quamcitus venire ipsum Venetiis permittatis.

Data in nostro Ducali palatio die XXX Maij, VII indictione.

1369 — 6 Giugno.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus ac sapientibus viris Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo Generali terre et Tadeo Justiniano Capitaneo Generali maris in partibus Istrie, nec non Nicolao Baseio et Petro Grimani Equitatoribus ibidem, fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Intelleximus litteras vestras data IIII presentis mensis nec non Nobilem Virum Jacobum Delphino militem equitorem deinde audivimus ambaxatores Tergestinatorum qui venerunt ad vos cum verbis variis et parvi effectus lucusque. Super quibus rescribimus

vobis et quantumvis certi sinus sicut alias vobis dedimus in mandatis quod propter adventum eorum vol alia verba que darent non cessatis nec cessaretis a guerizando. Tamen ad cautellam fidelitati vestre scribimus et mandamus quod nullo modo abstinere debeatis ymo debeatis magis diligenter quam unquam attendere et attendi facere ad faciendum sine intermissione vivam continuam guerram tam per terram quam per mare stimulando eos continuo et faciendo die noctuque facere fieri bonam custodiam ne victualia aliquo modo portetur et quod persone non intrent nec exeant in Tergestum. Vobis insuper Capitaneo maris denotamus quod mittimus presens barcham cujus est caput Moretus a Forciis pro dando mudam barche Nicolle Carilli deputate ad custodiam Riperie Istrie unde barcham istam mittatis ad custodiam suprascriptam.

Data in nostro Ducali palatio die VI Junii VII Indictione.

1369 — 9 Giugno.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobilibus et sapientibus viris Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo Generali terre in partibus Istrie, Tadeo Justiniano Capitaneo Generali maris et Jacobo Dolfino militi et sociis equitatoribus ibidem fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Mittimus ad bastitas nostras nobiles et sapientes viros Marcum Superancio militem, Jacobum Mauro, Laurentium Dandolo, Vitum Trevisano et Marcum Justiniano cives et fideles nostros, quibus comisimus quod debeant esse vobiscum et diligenter videre monstras gentium nostrarum equestrum et pedestrium per modum in sua commissione contentum, debeant eciam examinare et providere circa alia per nos sibi commissa essendo vobiscum et aliis quod videbuntur ut in commissione sua quam ordinavimus vobis ostendi plenius videbitis contineri quo circa scribimus vobis mandantes cum nostris consiliis minorum rogatorum XL et zonte, quod ea pro quibus dicti nobiles nostri veniunt ad partes illas in quantum ad vos spectant observare et adimplere debeatis.

Data in nostro ducali palatio, die VIII Junij, VII indictione.

1369 — 30 Giugno.

Andreas Contareno dei gratia dux Venetiarum etc. Nobili et sapienti viro Dominico Michaeli de suo mandato Capitaneo generali terre in partibus Istrie fideli dilecto salutem et dilectionis affectum.

Significastis nobis per litteras vestras datas XXIII presentis mensis junii quod postquam provisores nostri qui nuper ibi fuerunt fecerunt monstram stipendiariorum et solutiones facte fuerunt arripuerunt fugam ultra CL de melioribus peditibus exercitus et dietim fugiunt. Et quamvis certi sumus quod per vos adhibita est et adhibetur ne fugiant omnis diligentia possibilis tamen recordamur ut in hoc habeatis illa remedia que adhiberi potestis cum honore nostro et conservatione status nostri. Et nobis significetis si id scire poteritis quam viam dicti fugitivi pedites tenuerunt et ad quem locum se reducunt. Preterea avisamus vos quod quidam Nutius de Urbino venturus est ad bastitam et per ea que sentimus portaturus est Comiti de Urbino certam ambaxiatam pro parte legatorum ecclesie unde advertatis et adhibeatis et adhiberi fatiatis diligentiam et cautelam per dextrum modum in inquirendo si Nutius aliqua tractaret contra honorem nostrum et specialiter si ipse vel alius seduceret et deviaret stipendiarios nostros ad recedendum; nam suspicionem habemus quod stipendiarii nostri pedestres et equestres qui fugiunt et fugierunt sedducantur ab aliquibus. Rescribendo nobis quidquid habueritis. Et si vobis constabit quod predictus Nutius vel alius sedduxerit vel seducere volet stipendiarios nostros ipsum expellatis a bastita nostra. Ceterum teneatis modum quod stipendiarij qui sunt cassi vel cassabuntur in posterum qui non forent pro remanendo in bastita veniant Veneciis navigio et non fatiant aliam viam per terram.

Data in nostro ducali palatio, die ultimo Junij, Indictione VII.

Recepta III Julij.

SOMMARIO

dei Dispacci di Domenico Michiel al Doge,
e delle Lettere Ducali di Andrea Contarini.

(I primi sono indicati con *M*, le seconde con *D*).

1368.

- 10 Novembre — *D*. Risponde a dispacci del Michiel del di
7. Ripete quanto già gli aveva scritto ai 3, vale
a dire che si prepari a muovere all' assedio di
Trieste. Furono già eletti a suoi ajutanti Jacopo
Dolfin e Andrea Paradiso. Ponga il campo dove
si trova una sorgente d' acqua.
- 15 „ — *D*. Accolga nei debiti modi il Conte Nicolò
da Montefeltro, Guecellone da Camino Conte
di Ceneda e Pileo da Onigo, nominato mare-
sciallo dell' esercito veneziano.
- 16 „ — *D*. Ripete quanto ha già scritto ai 10 del
mese, ma lo lascia libero di porre il campo ove
stimerà meglio.
- 20 „ — *D*. Indica a quali prezzi si debbano rivendere
ai soldati le vettovaglie ed i foraggi.
- 29 „ — *M*. Ha riunite le milizie istriane. Partirà ap-
pena sia arrivato il conte di Montefeltro. Co-
minciarono ad arrivare gli approvvigionamenti
per la via di mare.

